omnia tamquam in scena agantur et mima, tunc uere mis ere apparent.
tunc probrosae diuitiae tunc uidetur foeda iactantia. Inuidia uero et ira et
concupiscentia ac libido, pro quae ad extremas quidem ianuas lugentis accedit, sed om-
nia haec fugantur, omnia exterminantur. Ita ut nec odor quidem horum nullus oc-
currat. Una sola cogitatio lugentis, unus intuitus, imago defuncti est. Ille uidetur
ante oculos ponitur, ille aspectui mentis atque animis exhibetur. Ipse eis cibus, ipse po-
tus est. Et si somnus fuerit, somnia inde ducuntur; ibi gloria, ibi diuitiae, ibi potentia,
ibi omnes deliciae conlocantur. Sic oportebat et nos salutem nostram lugere perditam
atque animam nostram mortuam lamentari; ut nihil amplius dicam, exhibeamus
nos nostrae animae quod illi exhibent alienae carni. Aut non extremae miseriae est
ut hi quidem qui filios aut uxores lugent ad nihil aliud occupent mentem suam, nisi
ut defunctos suos intueantur, et illos semper animo et cogitatione conspiciant; nos
uero quibus salus mortua et regni caelorum spes extincta est omnia magis quam inde
cogitemus. Et ille quidem etiam si regii generis sint, pro nimio tamen erubescit solemnita-
tem luctus implere. Sed et humi resident et cum amaritudine lamentantur et ues-
tem lugubrem sumunt et omnia faciunt quae ad adflictionem animae et corporis
spectant. Et neque quod in diliciis nutriti sint cogitant, neque florem corporis sui
respiciunt, neque metu futurae ex adflictione aegritudinis deterrentur, sed
omnia ferunt et insatiabiliter perferunt, et non solum uiri sed multo magis faemi-
nae etiam si ualde fuerint delicatae. Nos econtra qui non filias ut dixi aut uxores sed ani-
mam lugemus, et animam non alienam sed nostram, recogitamus aegritudinem corporis et recor-
damur quod delicatius educati sumus, et atque utinam hoc solum esset mali, nunc autem
ne hoc quidem est quod nos impedit aut retardat. Quid enim dicimus corporis uiribus
opus est cum cor conterere debeamus? Quid necessariae sunt uires corporis ut pura
deo fundatur oratio, ut peccatorum recordatio fiat et humilitas adsumatur et
superbia depellatur? Quid requiris corporis firmitatem ad adrogantiam reprimendam? Ista
enim in quibus placetur deo, quid laboris ista, quid adflictionis requirunt? Et tamquam si
intollerabilis quidam labor sit, omittuntur a nobis. Non requirit deus ciliciorum
pondus neque concludi inter angustias cellulae nec in obscuris antris ac tenebro-
sis sederi iubet. Hoc solum est quod exposcitur a nobis, ut semper recordemur et ad a-
nimum reuocemus mala nostra, et conscientiam gestorum habeamus ante oculos,
ut pro his supplicemus deo; ut gehennam ponamus in conspectibus nostris, et angelos
qui in die iudicii ubique discurrunt et congregant de omni orbe terrarum eos qui tra-
duntur in gehenna ac supplicio ignis tradendi. Ponamus etiam illud ante oculos
quanti doloris est excludi et proicia regno caelorum, quod ut mihi uidetur ipsa gra-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc452/0334